



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 81. Augustinus Cusanus Cardinalis hoc anno vivis ereptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

oculorum infirmitate tantisper conva- Sæc. XVIII.
luit, unde Romam reversus, quamvis A. C. 1730.
thesaurarii munus dimisisset, sedulo
tamen cum Corradino & Lercario
Cardinalibus necnon cum Negronio suo
Successore de opportunis exhaustum
marium restaurandi mediis consilia
contulit. Congregationibus quoque,
quibus erat adscriptus, interesse non
desistit. Tandem vero absolutis Sacris
comitiis in periculosum incidit mor-
bum, ex quo etiam die decima nona
Octobris decessit anno ætatis quadra-
gesimo octavo nondum expleto. Se-
pultus est in Ecclesia S. Mariæ Montis
Sacri in Sacello ejus Domus Gentilitio.

§. LXXXI.

*Augustinus Cusanus Cardinalis hoc
anno vivis ereptus.*

Augustino genus erat clarum & cum-
primis Nobile, ex Marchione Octa-
vio & Margarita Billia, optimis Pa-
rentibus. Primam lucem Mediolani
aspexit die vigesima Octobris anno Sa-
lutis nostræ millesimo sexcentesimo
quingentesimo quinto. Præcipua pie-
tatis officia, ac literarum rudimenta
hausit in patria, inde anno ætatis duo-
decimo Romam delatus in Seminario
Romano altioribus scientiis operam de-
dit,

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

dit, ac præprimis in Oratoria arte admirandos fecit progressus, non minus in perorando gravis, quam in persuadendo efficax. Plena pubertate in patriam reversus, jurisprudentiæ impetius incubuit, qua egregie instructus Romam rediit, ibidemque celebrioribus Caussidicis usus, gravem, ac vehementem in forensibus caussis Oratorem egit. Hunc tamen ad altiora naturæ existimabat Innocentius XI. hinc ad eodem Curiae Romanæ Præsulibus accensetur, & paulopost sanitatis, ut vocant Provisor deligitur pro avertenda pestilentia, quæ tum in Neapolis Regno grassabatur. Hoc defunctus manere sub Alexandro VIII. boni Regimini Congregationi adscribitur, & primo Cameræ Apostolicæ Præses, postea illius Clericus, ac demum adjecto Archiepiscopi Amaseni titulo Legatus Apostolicus ad Venetos decernitur. Inde Romam redux coram Pontifice & Cardinalibus anno hujus sæculi quarta die tertia Decembris luculentam habuit orationem, in qua non in Principibus & filiis hominum, cum eorum virtus fragilis, favor incertus, status mutabilis esset, spem esse reponendam, gravibus verborum ac sententiarum pondere ostendit. Ergo tam insignis facundie Vir biennio post in Gallias Legatus pro pace

pace inter Europæ Principes concilianda ^{Sæc. XVIII.}
 mittitur, quod negotium sat prospere ^{A C. 1730.}
 gessit, donec Clemens XI, Carolum III.
 ceu Hispaniæ Regem agnosceret: tum
 vero Franciæ Rex indignationem inde
 conceptam sat aperte Nuntio demon-
 strabat, cui tamen Cusanus reposuit,
 Clementem secutum fuisse exemplum
 Regis, qui & ipse Principem de Wal-
 lis pro Angliæ Rege habuisset, prius-
 quam Hic Regni sui possessionem ade-
 ptus esset. Hæc prima erat sinistra
 affectus scintilla, quæ demum in aper-
 tas flammæ erupit, postquam Cusa-
 nus Pontificis nomine vehementer co-
 ram Galliarum Rege querebatur, eo-
 quod Bullionium Cardinalem non sine
 maximo S. Collegii, cuius Decanus e-
 rat, dedecore ceu rebellem ac Patriæ
 proditorem declarasset. Funesta igitur
 hac rerum vicissitudine permotus Pon-
 tifex, Cusanum Regi infestum Romam
 revocavit, eumque Ticinensi Ecclesiæ
 Episcopum præfecit, & sequenti anno
 Cardinalium Collegio aggregavit. Nec
 tamen otiosus Romæ substitit Cusanus,
 sed Congregationibus, quibus aggre-
 gatus erat, sedulo interfuit, ac demum
 Bononiensem Legationem obire com-
 pulsus est. Triennio sui Regiminis ex-
 acto ad suum Episcopatum rediit, in-
 fausta tamen sorte; cum enim Tici-
 num

Sæc. XVIII. num prope attigisset, prædones ex
 A. C. 1730. fidiis improvise erumpunt, uno vel
 impetu sclopos exonerant, accurrunt
 absdubio illum interfectori, nisi ejus
 famuli strictis gladiis sicarios pavore
 utrinque cæsis aut vulneratis, in fugam
 strenue egissent. Ita vigil cæli oculis
 incolumem esse voluit, quem Deus in
 suæ Ecclesiæ commodum diutius
 reservaverat. Ab eo enim tempore
 quo suam repetiit Ecclesiam, omnia
 in hoc Præfule erant magna, epi
 prudentia, pietas, Religio, vigilans
 liberalitas in pauperes, & omnia
 maximus Divini cultus ac honoris Ze
 lus fere Apostolicus, quo nihil
 suscepit pro Dei gloria, nihil expart
 Interfuit bis Romæ sacris comitiis, in
 quibus meritorum suffragio absdubio
 tiam reportasset, nisi ab ea illum ex
 clusisset vetus Gallorum indignatio
 Ipse vero jam senio gravis nil arde
 tius in votis habuit, quam ut reliquos
 vitæ dies soli Deo, & salutis suæ studio
 sacraret, quocirca dimisso Episcopatu
 Mediolanum secessit, ubi etiam appo
 lexia tactus, anno ætatis septuagesimo
 quinto die vigesima septima Decembris
 pie in Domino obdormivit, sepultus
 uti ipsemet testamento caverat, in Ec
 clesia Monialium S. Praxedis. Extract
 hæc ingenii sui monumenta. I. Vota
 plura

plura circa sanctificationes sanctorum. Sæc. XVIII.
 II. Relationes ab ipso factæ Secretariæ A. C. 1730.
 status. III. Ordines & Constitutiones
 pro bono Regimine. IV. Epistolæ in-
 structivæ ad Secretariam Status & ad
 Nuntios apud Reges.

§. LXXXII.

*Quinque Præfules a Clemente XII.
 Purpura honorati.*

Horum Cardinalium jacturam Cle-
 mens XII. P. aliorum recens re-
 nuntiatorum selectu aliquatenus com-
 pensabat: die enim decima quarta Au-
 gusti nominabat Nerium Corsinum ex
 Fratre Nepotem Cardinalem Diaconum
 tit. S. Adriani. Præter hunc die se-
 cunda Octobris alios quatuor enuntia-
 bat, quos inter primus erat Alexander
 Aldobrandinus patria Florentinus Rho-
 diensis Archiepiscopus Presbyter Car-
 dinalis tit. SS. Quatuor Coronatorum.
 II. Hieronymus Grimaldus Genuensis
 Archiepiscopus Edessenus, Presbyter
 Cardinalis tit. S. Balbinæ. III. Bar-
 tholomæus Massæus, Athenarum Ar-
 chipræsul Cardinalis Presbyter tit.
 S. Augustini. IV. Bartholomæus Ru-
 spulus patria Romanus, Protonotarius
 Apostolicus, Cardinalis Diaconus tit.
 SS. Cosmæ & Damiani.

Z 5

§. LXXXIII.